

ORATIO REVOCATORIA

R. DN. PETRI NOVACOVII,

Quondam Romanæ Ecclesiæ Presbyteri,
in Conventu Lublinensi Ord. Prædicatorum Philo-
sophiæ, post Dantisci S. Theologiæ Professoris,
ac Ordinarii Thorunii Conci-
onatoris:

*Post ereptionem ex profundissima Antichristiana
impietatis inundatione,*

AD NOBILISSIMUM
SENATVM POPVLVMQVE RIGENSEM.

Deprompta è memoria ab ipso in Collegio
ejusdem Civitatis,

ANNO M. DC. XLVIII. die 3. Septemb.

RIGÆ, Typis SCHROEDERIANIS,

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS

Virtutum splendore, præclaræ doctrinæ, & eximie eruditionis
laude, longo rerum grauisimarum vsu & Authorita-
tis decore Excellentissimis,

DOMINO BVRGGRAVIO REGIO:
DNN. CONSVLIBVS: SENATORIBVS:
SECRETARIIS INCLUTÆ REIPUBLICÆ
RIGENSIS.

ADM. REVERENDIS ET CLARISSIMIS,

DNN. Pastoribus, reliquisq; Ecclesiæ ibidem Ministris,
Orthodoxæ Religionis Propugatoribus &
Propagatoribus.


SPECTATISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS,

DNN. Tribunis ac Senioribus Majoris & Minoris Col-
legii Honoratissimis. Præstantissimis Dnn. Civibus;
adeoq; Univerſæ Rigenſium Communitati.

OMNIBUS ET SINGULIS

Patronis, Promotoribus, & Fautoribus meis,

Salutem & felicitatem a Deo Patre, per Dominum nostrum
Jesum Christum, in Unione Spiritus Sancti.

 Tructo perlucido cæli & terræ globo, stru-
cto & condito concinnè, inter tot micantium sy-
derum fulgentes flammæ, inter tot aëris volu-
crum agmina canora, primos lucis ortus alternis
modulis demulcentia, inter tot animantium turbam terram
incolentem, sola creatura rationalis singulari voluntatis
munere, probitatis & malitiæ aptitudine, à primo temporis

Iustro potitur. Poli itaq; coruscæve lampades & firmamenti sydera palantia, ex quo æthereum pavementum exoriant, polarem lineam haut quaquam exorbitantes, lucidum iter sine obliquitate indefessè currunt: aquæ, quas, ut campos florum hilaritate ridentes irrigarent providens Deus libavit, per occultas terræ cryptas & meatus, nativa ponderositate graves, ad centrum veloces contendunt: ignis, qui tot annorum decursibus sub argentato lunæ globo perseverat, flammivomos eiaculans procul radios, sursum reptans ascendit; cætera animantia in propria naturali impetu vehuntur; tantum hominem in manu consilii sui relictum Sapiens exclamat, cui, cum facultas, quocunq; eum suus impetus ferat, se vertendi indifferens insit, varii ille propterea eventus capax efficitur. Sed bonitate liberi arbitrii rationis habenas moderante, tranquillaq; pace pollente, morum honestate composita, aurea ætas, ut quondam concinebat Poeta, sistitur,

Aurea prima fata est ætas, quæ iudice nullo

Sponte sua, sine lege bonum verumq; colebat.

At ubi humana inuasit malitia & mens vitiorum rubigine extitit dedecora, ex aureo seculo ferreum propter immanitatem factum est. Quis terram, ne dicam cælum turbavit? quis? malitia: nam Gen. 6. videns Deus, quod multa malitia hominum esset super terram, eam aquarum congerie obruens Uniuersali diluuiò jam jam ruentem submersit. Luciferum quippe nitidis conspicuum fulgoribus & a diebus conditionis suæ pulchrum & decorum hæc sola in tartara deiecit. At in tam fatali hominum & Angelorum strage peritne? convulsane tanta serie aquarum malitia hominum? abolita flammis ambitio Luciferiana? nequaquam; rediuuiam in Romana Ecclesia totus cernit & exhorrescit mundus, ubi hominum Lucifer Papacum cælo certans, audaciq; manu fas nefasq; miscens, eripit Incarnato verbo, & raptum sibi usur.

bi usurpat Solium ; Leonis & Agni specimen præferens, non crucis, sed Christi fidelium sanguine innocenter effuso rubens, librum de dextera supra thronum sedentis accipere, ejus signacula soluere, numerum electorum & reproborum tansuerso calamo percurrere conatur, idq; eò meliori successu peragit, quo speciosius impietates suas, & idololatrias, simulato fidei & pietatis prætextu, conuestit & tegit, mentitisq; coloribus, vanâ Regni Cælestis pollicitatione, blandis indulgentiarum ludibriis, cæterisq; astutiæ & potentiæ dolo-
sis technis, una secum in nunquam finiendæ damnationis barathrum trahit. Iterum sane omnis mens & caro corrupta, dum Romani Gigantes, Filii terrestris Dei, frenos laxantes cupiditatibus, nec solum filiabus, sed etiam filiis hominum nefandè abutentes, sceleratissimâ complacentiâ & effreni replent æthera clamore, fontesq; abyssi magnæ & cataracta cælorum rumpunt, vltrices pluuias in singula temporis momenta prouocando. Tantâ igitur iniquitatis mole ruentem Babylonem mentis corporisq; oculis cernens, a Christo excitatus & illuminatus, non impiæ ingratitude committendum, nec fundo iniquitatis diutius insidendum, sed fugâ potius salutis animæ meæ consulendum duxi. Hujus ardor præmonuit me patrias dimittere sedes, natiuum deserere locum, vastam terrarum superficiem peragrarè, tumidas pelagi reserecare undas ; sed pro tanto, quid tantilla ? dum Christum largissimè in præsentis & futuro seculo jacturam facultatum compensaturum audio. Moysen imitator fide grandem factum, quia negavit se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, majores divitias existimans thesauris Ægyptiorum, impropriè Christi adspiciens remuneracionem ; Regium sequor Vatem eligentem ad postes domus Domini sedere, quam in tabernaculis peccatorum habitare ;

*Negavit
se Pharaonis
filium*

cum paulum plagis & penumero, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter, in vigiliis, siti, fame, frigore & nuditate considero. Prævideo non defuturos obtretractores, qui arrepta ex triuio maledicta, & ex scurrarum conuitio Apostatae, fædissimi, & alia in me jacent probra, hoc tamen non nimium angit: nam gloria mea erit testimonium conscientiae meae, quod in simplicitate cordis locum & Religionem mutem: lucerna pedibus meis verbum Dei in via hac, qua fugio homines illos quibus desperata salus & incolumitas, certa autem expectanda perniciēs certusq; interitus. Ne tamen aliqua suspicione effrenis affectionis, eventus aut casus alicujus acerbi, qui transversos homines agere solet, Cathedra malignantium fulciatur; ordinem vocationis & ereptionis meae ex hac Antichristianae impietatis inundatione, inuisitq; conuersionis meae argumenta breui dissertatione complecti, eandem vestro nomini celebratissimo S. P. Q. RIGENSIS NOBILISSIME consecrare humili gratoq; statui animo. Divina enim Sapientia ut Jesseam olim: ita Rigensem sibi suisq; ædificavit civitatem, eamq; tot ab hinc seculis, inter immanissimorum hostium insultus, bellorumq; motus inconcussam semper & florentissimam conservavit. Constitit illa & ad multorum livorem usq; Victoriosissima stabit felicissimæq; perrenabit. Quid ni? cum tantus in subsellis ejus vigeat veræ fidei Salvificæq; Religionis zelus, ferventissimâ in Deum, proximumq; charitate luccensus, cui tanquam Duci innumeræ aliæ accedunt virtutes, quarum cum præstantiam, tum splendorem, nobiscum contemplata Livonia, jure sibi de tanta Matre, quasi de tutelari numine, gratulatur & applaudit; Præripit cæteris palmam Sapientiae amor, inq; doctrinam & studia sacratiora Magnificus affectus; ex quo procul dubio ortum habet illa benevolentia & humanitas, quâ literatos, literisq; altioribus operam navantes complectimur

ni & diligitis. Vigent omnino & vivunt Illustrium virorum gesta, qui hominum nobilitatem, virtutibus & doctrinâ olim metiebantur. Et quidem hoc ipsum est, quod inter spem & metum addidit animum; ut derelictis Patriæ oris, abjectis honoribus, statu & conditione mea, pauper propter Christum & ejus Evangelion, & quidem jam de medio illorum, quibus in terris nullus præter Deum adjutor, ad vestræ mœnia Patriæ divertere, vestro patrocínio, favori & gratiæ (divinam in agnitione verbi illius consecutus) causam una mecum, rationemq; vocationis meæ ad Ecclesiam vestram, eâ quâ par est demissione offerre non dubitarem. Non despiciate igitur (nec despicietis, scio, Domini, quæ vestra est inæstimabilis benignitas) oblatam hanc dissertationem, non destituite patrono vestro favore offerentem: referate portam gratiosissimi affectus vestri, quam nunquam aliis é papalium errorum caligine emergentibus præclusistis, & admittite hoc profundæ propensionis meæ monumentum, admittite me, posthac ubiq; sub vestri Patrocínii auspiciis, ex imperio vestro militaturum. Cæterum ne verborum circuitu nudam affectus mei videar obuelare sinceritatem, & affectus simplicitatem adulationis specie prætere, concludam voto calidissimo, Deum veneratus humillimè, ut, quam sibi hic elegit sionem, tot undiq; virtutum clypeis fulgentem, cælesti semper robore firmare, omniq; bonorum incremento ditare porro ex altis largissimè dignetur, ut ad eam plures, velut ad asylum pietatis Nobilissimum, se recipere, & omni obsequiorum genere, vos, Dominos omnium ordinum honoratissimos, venerari possint, quod se facturum omni studio libens meritoq; pollicetur.

V. V. N. N. A. A. & P. P.

Petrus Novacovius.
OMNI.

OMNIBUS SINCERAM
EVANGELII DOCTRINAM AMPECTEN-
TIBUS, & CUMPRIMIS GYMNASII NOSTRI
CIVIBUS

Salutem à JESU!



*Ecidit, Cecidit Babylon, urbs illa magna, quia vinum irascoriationis suae potandum prae-
buit omnibus gentibus. Sic detonat Angelus Apocalypticus, exci-
dium minitans Babyloni, ob nefandam foricationem, hor-
ribilem inquam idolomaniam & tyrannidem, qua pestilentis-
sima luis instar Christianum orbem infecit ac ferme oppressit. Sed
quae ista Babylon? Forè Chaldaica? Minimè, Nam Babylon ista
est urbs illa magna, quae tempore B. Johannis habebat imperium
in Reges terrae, Apoc. 17. v. 18: At tunc Monarchia non erat pe-
nes Babylonicos, sed penes Romanos. Quae igitur? Babylonem
hanc ROMAM esse,*

Septem quae una sibi muro circumdedit arces,

*tam certum est, quam quod certissimum. Dicitur enim insi-
dere septem montibus, quod nulli urbi magis competit, quam Ro-
mae, olim à Romulo septem collibus impositae: Palatino, Quirina-
li, Aventino, Calio, Viminali, Aesquilino, Ianiculari. Nec ulli-
us hili est, quod objicit Scioppius Apostata, Romam hodie plures
habere montes. Describit enim Johannes futuram Antichristi se-
dem ab eo situ, qui sua aetate erat, ubi collis hortulorum extra an-
tiquos muros habitatus non fuit. Neque opus est pluribus, cum &
plurimorum veterum auctoritatibus nitatur haec sententia, & hodie
pontifi-*

pontificis emissari non inscientur eam, ne ALCASAR quidem. Ne autem hi prodant suum Semi-deum, fingunt Babylonem esse Romanam, non Christianam sed Ethnicam. Inane effugium. Ea Roma est Babylon, qua vino scortationis suae inebriavit omnes Reges terra: Quod non de Veteri, sed de Papali Roma intelligi potest. Hac ipsa est, qua omnibus Gentibus & Regibus superstitiones & idola sua sub pena fulminis haecenus imperavit. Ea Roma est Babylon, cui ruina hic nuntiatur: Cecidit, Cecidit. Atqui non Ethnica; quippe qua non est & esse jam pridem desit, sed Roma Papali ruina adhuc imminet. Cecidit illa quidem in plurimis Europae Provinciis, Papatu per Evangelii doctrinam everso vel fracto, sed nondum Cecidit, Cecidit, quia nondum omnino corrui. Erit autem, quo prius stabant alta mania Romae, regia palatia, celsae turres, Divorum basilicae, ibi jacebunt vasta parietina & cineres, Ubi prius sanctissimus Papa, purpurati Cardinales, delibuti Patres, insulati Episcopi, Dalmatici Praelati, saginati Monachi, nitidissimus clerus, frequentissimus populus, Persico splendore, Sybaritico luxu difflebant, ibi cacodemonas, lemures, spectra, bestiae, bubones, volucresq; invisa stabulabuntur. Quin tu igitur, o gens Papistica, terribile hoc iudicium audis & respicis, antequam te manus victoris caelestis apprehendat projiciatq; in lacum ignis ardentem sulphure? Neq; te fallant Gnathones qui blaterant, durum, probrosum ingratumq; videri, tantos Principes, tantos Reges Antichristi vasallos esse. Fallax Sirenum hic cantus est. Ipse Gregorius I. Rom. Papa fidenter dixit, Antichristum vel Antichristi praecorem eum Sacerdotem, qui se UNIVERSALEM vocaret, successorumq; BONIFACIUM III. cen digito monstrans: Rex, inquit, superbiae propè est & quod dici nefas est, sacerdotum est praeparatus exercitus. Quare, o Reges, ad animum revocate, cui serviatis, quid agatis imprudentes? Det vobis DEUS in corda vestra, ut faciatis, quod placitum est ei, mulieremq; fornicariam ROMAM solam reddatis! Servite Domino in timore & tre-

more : Osculamini Filium, ne quando irascatur & pereatis in viâ. Dum igitur tempus est, ambulate in luce, ne tenebræ vos comprehendant. Hæc omnia acri judicio perpendit Reverendus & Doctissimus DN. PETRUS NOVACOVIVS, Primarius olim S. Theologia Professor, in Conventu Gedanensi S. Nicolai Ord. Prædicatorum, postea factus Prædicator Ordinarius in Conventu Torunensi; & cum lectione Sacrarum Literarum indefessâ, nec non collatione sententiarum cum nostris Theologis, è tenebris idolomania Papiistica per multa impedimenta eluctari cepisset, non certè illecebris voluptatum deceptus, sed concatenato conscientia angore supra modum excruciatu, cucullum abjicere, Antichristo Magno renuntiare & ad nostram Ecclesiam, verè Catholicam & Apostolicam sese aggregare voluit. Praclarum certè facinus & memorabile. Dolendum verò, quod charitatis igniculi, quibus talis Profelytus fovendus est, videantur apud nos esse extincti. Sed oro Summates, infimates, per DEI misericordiam, ut eorum largâ munificentia infirmi hujus fratris viscera in Domino reficiantur. Messè beneficiorum suo tempore metent non pœnitendam. Et cum prædictus Reverendus Dn. NOVACOVIVS palinodiam canere & Orationem revocatoriam habere in animum induxerit, ideo MÆCENATES, PATRES, FAUTORES, AMICOS humaniter oratos volo, ut spectabili suâ presentia declamaturum animare, suumq; affectum erga puram atq; illibatam nostram religionem testari pergant. Ita sine termino felices vos omnes gratia caelestis conservet. Orationem, cum DEO, depromet ex memoriâ prid. Calend. Sept. Anno M, DC, XLVIII,

Vester

**M. Iohann. Dolmannus S. S. Theol.
 Profess. & Primarius Pastor.**

ORA-

ORATIO.



Edit quam maximè humanæ mentis inbecillitas, luci mysteriorum & operum Dei præcellentissimæ, quæ vnigenitus, qui est in sinu Patris, Ecclesiæ suæ reuelavit, Orthodoxa Ecclesia, solo Spiritu Sancto (omnis veritatis dictatore) plena, fidelibus credenda proponit, obediens Christiana auris, fide sincerâ lætanter & libenter suscipit; quæ quanto magis mens nostra, ut aquila generosa, oculis inconuenientibus inspectare nititur, tanto magis splendidissimâ eorum luce hebetatur: quanto magis splendoribus ipsorum se se immiscet, tanto magis dubitationum caligine circumfunditur: quanto magis à vibratis diuinorum operum fulgoribus, ceu fulguribus, in contemplantam cælestis Numinis lucem se se attollit, tanto magis attonita deprimitur, & depressâ, veluti à quodam temeritatis vindice, nonnunquam opprimitur. Nam si scrutator Majestatis opprimetur a gloria, quomodo mentis nostræ oculus, oculus vespertilionis, supernâ diuinorum operum luce, non opprimetur ac deprimetur, qui in rerum naturalium intelligibili luce plerumq; cæcutire consuevit? quomodo non cedat inaccessibili supernaturalium operum luci, qui naturalibus diuinæ virtutis operibus, in creatione & gubernatione obuiis, facilè cedit? quomodo supernaturalia, prædestinationis scilicet, vocationis, reprobationis, justitiæ, misericordiæ, mentis suæ acie perstringet mysteria, qui naturalis providentiæ pulchritudinem,

ordinem, modum suâ contemplatione pererrans, nunc errat, nunc oberrat, nunc exerrat, tandem admirabundus stupescit, & in illa luce tanquam in tenebris sæpe caligat, ita ut merito illud Isaia 29. huc referre possis, quod de Judæis puniendis Dominus profert: *erit vobis visio sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas dicent: lege istum librum; & respondebit: non possum: signatus est enim; & dabitur liber nescienti literas diceturq; ei, lege istum librum & respondebit: nescio literas.* Admirabilia diuinæ omnipotentiae opera in hoc mundo liber sunt sapienti & insipienti clausus, admirabilia, diuinæ omnipotentiae opera in hoc mundo liber sunt sapienti & insipienti apertus. Dico, non contradico; liber providentiae creatricis & gubernatricis rerum clausus est, quia nulli rationi satis pro dignitate rei pervius; apertus est, quia sapienti & insipienti caeli enarrant gloriam Dei, pulchritudo rerum, gubernatio creaturarum declarant creatoris magnitudinem. *Accipe librum de manu Angeli, stans super mare & super terram,* sapientiam enim Deus magnificè, ex sua bonitate effudit supra terram, mare, flumina, caelum. Liber praedestinationis & vitae; liber quoq; reprobationis, in quo scriptae sunt *lamentationes carmè & ve* suâ ipsius culpa damnatorum; apertus est, quia fide orthodoxâ referatur, asserente ex Doctore Gentium, quod Deus, volens ostendere iram, & notam facere potentiam, sustinuerit multâ lenitate vasa irae facta ad interitum, & ut ostenderet diuitias gloriae suae erga vasa misericordiae, quae praeparavit ad gloriam, clausus tamen est uterq; quia quare hunc trahat, hunc non trahat, huic talia & tanta media suppeditet, alii non, incomprehensibilis diuinæ voluntatis arctissimo sigillo, sed justè tamen, clausum est. Hunc librum intellectus practicus considerans, tremit, dum cum timore & tremore operatur salutem suam, at vero theoreticus effrenatâ sæpe oris licentiâ, ipsum introspicere, arctissima sigilla ejus disrum-

disrumpere, difficultates in ipso latentes scrutari & percensere conatur. Non malè, si intra positos á pietate terminos manserit; quo pacto scrutari & percensere quidem unicam Vocationis & ereptionis meæ ex profundissima Antichristiana impietatis inundatione periodum, conabor & ego; Modò Spiritus ille Domini, qui procellam superstitionum, & ignorantia tenebras, fulgore gratiæ suæ dissipare & dispellere non dedignatus est, illuminare dignetur super nos faciem suam, ut in lumine ejus, vocationis meæ verum videamus lumen. Nec defuturam spero adspirantem vestræ benevolentia auram, Auditores Omnium Ordinum Honoratissimi, quâ leniter subleuatus, recto procedam tramite, & hanc orationem meam, tenui concinnatam stylo, & scholastico deductam filo, benignissimæ attentioni vestræ exponam.

Sacrum & humanæ menti imperscrutabilem diuinorum arcanorum librum scrutator dum accedo, totus mente confusâ, incertisq; terroris fluctuans affectibus animo contremisco, nec immerito; quod enim acumen rationis nostræ non attonitum reddat dilecta dudum Judæa, sed post obcæcata, & Gentilitas aduersa Deo, sed justitiæ luce perfusa? quæ mortalis animi solertia, Iscariotem Judam e Christi consortio, ad terrificam cæcæ proditiõis, æternæq; damnationis voraginem præcipitem, Paulum verò persecutorem blasphemum & contumacem ad Apostolatus fastigium euectum, satis comprehendere valebit? quæ animæ virtus Beatissimum Lutherum densâ caligine Antichristianæ perfidiæ, fætidissimâq; Monasticarum superstitionum opacitate obuelatum; sed postea supra modum legis gratiæ coruscantem, totumq; orbem flammigeris Veritatis Evangelicæ radiis irradiantem, satis inspicere audebit? sileo Melanchtonem, sileo Brenticum, Chemnitium, & infinitos alios Orthodoxiæ Assertores, in quibus ineffabilis refulsit Redemptoris nostri beni-

gnitas, ut ex tetra Papalium errorum abyſſo, ſalui emergerent. Verto vocem atq; animum ad te, Nigrine nigerrime, a deſto noue Lucifer, qui temporibus noſtris in Chriſti acie oriebaris; dic quomodo a tramite veritatis deuiſti? quomodo ex alta Evangelii ſede, ad ima ſuperſtitioſæ Babylonis cecidiſti? adſum & ego quondam Nigrino notus. Cernite mentibus deuotis, Auditores, dexteræ Excelsi mutationem, cernite incomprehenſibilem diuinæ vocationis clementiam. Ille quondam Sponſæ Chriſti Eccleſiæ, ejuſq; Evangelii apud Dantiſcanos ſtrenuus deſenſor; ego meretricis Babylonice ejuſq; fornicationum acerrimus ibidem propugnator: Ille Thorunii relicto Chriſti Evangelio, derelictâ ſponſa, in ſinu meretricis inquietus recumbit; ego derelictâ meretrice Chriſti Evangelio feliciter accedo; labia ejuſ dolosa, quæ per tot annos ſanctum Chriſti Evangelion ejuſq; diuinitatis attributa, laudes & perfectiones prædicabant, eum in æternum blaſphemabunt; mea in Evangelion blaſphema quondam, Chriſti laudem gentibus annunciabunt. At prodeant in lucem veritatis Nigrine motiua, prodeant rationes viciffitudinis noſtræ, me certè Chriſtus, te Babylon celebrat Sanctum; me prostituta meretrix; te Chriſti ſponſa prædicat Apoſtatam; quis igitur noſtrum Apoſtata? quis Sponſæ Chriſti deſertor? te ſanè Nigrine in æternum damnatum Apoſtatam hoc diſcurſu conuincam. Nonne ille eſt Apoſtata, ſponſæ deſertor, qui repudiatâ ſponſi ejuſ cæleſti doctrinâ, adhæſit novitatibus & heterodoxiæ ab Ethnicismo & Judaismo deſumptæ? Nega ſi potes; Nega itidem, quod tam infandæ culpæ ſis obnoxius, quod adhæſeris novitatibus, & ſentina ſordium Ethnicarum Judaicarumq; ex quibus Papiſmus maximam partem conſtat, ut inde meritò damnatus Apoſtata dicaris. Non abibis a gregalibus tuis, quorum aliqui ſacram Scripturam non plus quam Æſopi fabulas exiſtimant, ut Eccius Enchirid.

Cap. 1. de Eccl. Hosius Lib. 3. de Authoritate Ecclesiæ. §. 3. alii scripturam mortuam, in membrana seu charta appellant conscriptam, ut Coster. Enchirid. Cap. 1. de S. Scriptura. pag. 44. alii destitutam omni actione, & fictitiam vocem, ut Hosius Lib. 3. de Authorit. S. Scripturæ. pag. 550. alii testem mortuum, non valentem certamen inire cum adversariis, ut Lessius de Antichristo pag. 124. alii vocem mutam, sonantem in atramento & characteribus, ut Greg. de Valentia. Tom. 3. Disp. 1. punct. 7. contra vnanimem priscorum Patrum consensum, de Veneratione Sacræ Scripturæ, de Consecr. dist. 1. Cap. 68. Apostolica. Quam impiè Bellarminus Lib. 2. de Verbo Dei. Cap. 2. §. *sequitur docet*, antiqua Biblia Hebraicè scripta, impietate Judæorum esse corrupta, contra doctrinam olim Pontificum. dist. 76. Cap. 7. Jejunium. Ubi dicitur *cogimur ad Hebræos recurrere, & Sacra Scriptura veritatem de fonte magis, quam de rivulis querere.* & dist. 9. Cap. 7. *Ut Veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermonis desiderat.*

Dic quæso insanæ mentis homo, si Ægyptios horrifera portenta per Mosen patrata, si Judæos quotidiana Christi miracula, ejus vitæ sanctimonia, sanguis innocentissimus, non permoverunt ad cælestis doctrinæ agnitionem, quomodo tam cito levis corde, non absq; hypocrisis & prætensæ ambitionis nota, derelicto certissimo salutis nostræ medio, credidisti eis, quæ ambitiosi homines in foliis suis lascivientes in dies adinveniunt, ut adinventionum lenociniis, & innani quadam veritatis pollicitatione miseros mortales in turbulentissimos facilius inducant errores; & quo minus aliquando possint veræ fidei clarissimam lucem respicere, mendaciorum aceruis, tanquam atra nubium densitate præpediunt? Si enim quotidiana missæ sacrificia, vel potius sacrilegia, si Diuorum cultus & invocatio, Jacobinæ peregrinationes, delectus ciborum,

ciborum, cuculli Monachorum, Eremitica aura, pœnæ purgatoriae, & illa omnia, quæ Papa pro ingenii sui placito, inuitâ Sacra scriptura, inuitâ Patrum canitie decernit, sunt de essentia fidei, adeo ut nullus saluari possit, qui ea non crediderit; cur Christus nobis præscripta in Evangelio non reliquit? cur Apostoli nullam horum mentionem fecere? cur in primitiva Ecclesia nullus istorum usus? dices fortè contineri ibi omnia implicitè: at quæram: cur non explicite? cur Spiritus Sanctus qui Apostolos omnem veritatem docuit siluit ea, sine quibus nostra salus obtineri nequit? ergo legem gratiæ duriolem iudicas lege Mosis, in qua & minimæ ceremoniæ, ritus & sacrificia præscripta? in lege verò gratiæ nihil expressum; sed quot Pontifices, tot Biblia, tot canones, tot diuina oracula. O insanum Nigrine nigerrimæ tuæ mentis iudicium! denigrata est super carbones ignis mens & facies tua, quia relictâ Christi sponsâ, in qua macula non est, ruiisti in amplexus inuenustæ scortatrici quæ fatuos amantes in ruinas coniectos non numerandas necat.

Fateor post initia nascentis Ecclesiæ, ubi Episcopus alterum, extra Ecclesiam suam, errantem fraternâ correctione corrigere poterat, hoc maximè Episcopo Romano ob sedis eminentiam, facilem ad Imperatorum subsellia aditum, eximiumq; Apostolorum in illa sede Petri & Pauli laborem conuenissè, non tamen ut ista authoritas in absolutum Dominium, & visibilis Ecclesiæ Monarchiam, jus diuinum jactantem, eueheretur, adeò, ut de necessitate salutis sit, eum credere *caeleste habere arbitrium, ideo naturas rerum mutare, de nihilo posse aliquid facere, sententiam quæ nulla est posse facere aliquam, in iis quæ vult sufficere pro ratione voluntatem, non esse qui ei dicat, cur ita facis? posse eum supra jus dispensare, & de iniustitia justitiam facere.* Glossa in Cap: quanto personam, de Transl. Episc. in Decret. Item; *ut potestatis ejus sit Imperatoribus imperare,*

rare, mandata summi Dei subrogare & arrogare, cælum aperire, terræ maledicere, purgatorium obstruere, Sanctos creare, demones ligare, ut Bonif. viii. Cap. unam Sanctam. Extrauag. de majoritate & obedientia. En viuum Antichristum; en Luciferianum Diabolicæ ambitionis filium! certè si Papæ in fabricandis suis decretis & sanctionibus, pro ratione sufficit præsumptuosa voluntas, mihi pro pia voluntate & animo execrandi & conculcandi sedem impiam, decreta & sanctiones ejus, sufficet ratio, sufficet lex, sufficient Ecclesiæ primitivæ testimonia. Ratio enim dicitur, unius ædificii unū fundamentum, unius sponsæ unum sponsum, Unius corporis mystici unum caput. Cur ergo nobis non sufficiat, ut veræ Ecclesiæ non aliud fundamentum, præter id, positum quod est, Christum Jesum, testante Apostolo, confiteamur? Unius sponsæ, unum sponsum agnoscamus? (quidquid omnis adulterii sentina cælebs Romanorū praxi probet synagoga,) unius corporis Mystici unum caput, Christum? de quo Apostolus ad Col. 1. 18. *ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

Nec ullis seculis quibus olim Centaurorum, Cerberorum, Sirenum, Hydrarum, Leonum Nemæorum, Cyclopum, multaq; ejusdem generis monstra nata Poëtæ commemorant, tantum monstrum orbi Christiano apparuit. Olim certè testante Hieronymo in Epist. ad Eug. *erant omnes ejusdem meriti, ejusdem sacerdotii, & communi Præbyterorum sacerdotio regebantur.* Idem docet Cyprianus, Lib. de Unitate Eccles. Synodo quoq; tertia Carthag. circa annum 394. decretum est, ne primæ sedis Apostolus appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos; Saluator quoq; & mediator noster Christus Jesus; antequam Triumphator ad dexteram æterni Patris conscenderat, non Anacletum vel Agapetum,

petum , quem Bernhardus Bestiam Apocalypticam , cui datum est os loquens blasphemias , vocat ; non superbum Alexandrum , qui pedem posuit in cervice Imperatoris ; non Nicolaum , qui Senatorium Romanum rapuit : non Sylvestrum secundum , qui ambitione & diabolicâ dominandi cupiditate sedem iuvante diabolo , hac tamen conditione , ut post mortem ipsius esset , consecutus est , testante Platina ; non Benedictum nonum Magum , non illos quinque ; quos se totos Satanæ consecrassè , ut ad hanc sedem eueherentur , Benno refert ; non Ioannem Papissam , non Sixtum Tyrannum , non Urbanum barbarum , non Innocentium stolidum ; sed Spiritum Sanctum , qui ejus vices certâ ratione , quâ officio in terris ex autoritate fungeretur , gereret & sustineret , nobis reliquit , Ioan. 16. 7. inquit *expedit vobis ut ego vadam , si enim non abiero Paracletus non veniet ad vos , si autem abiero mittam eum ad vos . & Cap. 14. non relinquam vos orphanos , Paracletus Spiritus , quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia .* Quare Tertullianus vocat Spiritum Sanctum Vicarium Domini : Vim ejus Vicariam , Lib. de Velandis Virg. Non ergo relinquitur locus ejusmodi curatelæ , quam sibi iniquissimè ambitiosus Papa supra Spiritum sanctum & ejus Ecclesiam usurpat.

Adstruunt usurpatæ autoritatis curatelam successione legitimâ Petri , quem Primum Christi , post ejus mortem , Vicarium mendaciter statuunt , ex illis verbis Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam .* Sed iniquissimè Petrum tantæ ambitionis authorem statuunt . Omitto aliorum Patrum sanam Verborum Christi explicationem : Augustinus ipsos captiosos impostores esse , ad oculum demonstrat genuino sensu Verborum Christi ostenso : *Quia Christus Petra , Petrus populus Christianus , petra principale nomen est ; ideo Petrus a Petra , non Petra a Petro : quomodo non a Christia-*

Christiano Christus: sed a Christo Christianus dicitur. Tu es ergo, inquit *Salvator, Petrus & super hanc Petram, quam cognovisti dicens, tu es Christus Filius Dei vivi, edificabo Ecclesiā meam, super me edificabo te, non me super te, nam volentes homines edificari super homines dicebant: ego quidem sum Pauli: ego Apollo: ego verò Cepha, ipse est Petrus. Et alii qui volebant edificare super Petrum, sed super Petram dicebant; ego autem sum Christi. Serm. 3. de verbis Domini: Ex hac igitur explicatione constat non Personam Petri, sed quod confessus est esse fundamentum Sanctæ Ecclesiæ, alioquin ruisset illa, quando Petro Christus dixit, vade post me satana; quando item Petrus Christum abnegavit, quando deniq; non nihil judaizabat, & propterea a Paulo graviter objurgabatur.*

Amoverat sanè omnis supereminentis authoritatis prætensionem ab Apostolis suis, dum profundus Magister quæstionem inter Apostolos de primatu agitatam brevibus resolvit: Luc. 26 26. Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic, sed qui major est inter vos, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut minister. Nec valet si augutè inferas supponi majorem, supponi præcessorem; nec enim isthoc fieri sole clarius est ex his verbis, quorum ea mens est, si quis esse velit ne superiorem se faciat, ut patet ex Matth. 20, 26. *qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus.* Addo quod si Petrus jam olim fuit caput Ecclesiæ constitutus, Matth. 16. cur ambitionis morbo cum cæteris contendit; quos Christus admonitione sanare instituit? cur Dominus non fatetur Petri primatum, ne detur Apostolis occasio anbelandi delatum Petro dominatum? cur Jacobus & Ioannes audacter petierunt primas apud Christum sedes? cur Petrus cum Johanne Samariam mittitur? nusquam enim caput mittitur a membris, ma-

ior a minore , prout Thomas de Aquino, l. par. Summæ. Theolog. Tract. de Trinit. & hac ratione probat, Patrem non posse mitti , quia primus & origo est Filii & Spiritus Sancti, Sacer autem textus dicit, *quum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis , quod accepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem. Act. 8. v. 4.*

Munus quoq; & functiones Apostolicas si respiciamus æqualiter omnibus demandantur, *Sicut misit me Pater : ita ego mitto vos. Joan. 20 21. euntes docete omnes gentes Matth. 28. 19.* nullibi missio restricta, diversa aut limitata; æqualiter ab omnibus observatur Act. 6. Omnes ex multitudine convocata constituunt septem Diaconos. Et in quæstione gravissima de Circumcisione Act. 15 Paulus & Barnabas non confugiunt ad Petrum; sed *statuunt ascendere ad Apostolos in Hierusalem super hac quæstione. v. 2.* Hierosolymis non a Petro; sed *ab Apostolis suscepti sunt & Senioribus v. 5.* non Petrus Synodum convocat, sed *convenerant Apostoli & Seniores seu Presbyteri videre de verbo hoc. v. 6.* & quamvis senior Petrus primus sententiam protulerit, decretum tamen ex æquo ab omnibus formatur Apostolis. *placuit Apostolis cum omni Ecclesia eligere viros v. 22.* Epistolæ quoq; synodalis initium non est, Petrus Romanæ sedis Episcoporum Episcopus; *sed Apostoli & Seniores & Fratres, his qui sunt Antiochia & Syria, & Cilicia, fratribus ex gentibus salutem. v. 23.* En quomodo Ecclesiæ Christi Regimen Apostolis sine ullo discrimine committitur, ab eis pariter suscipitur, qui omnibus Spiritus Sancti donis pariter fuere instructi Act. 2. Si ergo voluntas sufficit Papæ, pro ratione fabricandi & condiendi pestifera dogmata, mihi sufficiet ratio, sufficiet lex, sufficiet primitivæ Ecclesiæ consensus, pro voluntate non amplius adorandi hanc septicipitem bestiam; sed execrandi & detestandi, ut certam humani generis perniciem, cujus venena animosus Lutherus, clara veritatis bucci-

buccina , peritissimus prodidit universo orbi medicus. Venient , venient tempora , cum gladio suo conficient illam Principes , & qui eam amarunt , spoliabunt , & carnem ejus avibus cæli devorandam tradent.

Sola igitur purgatorii flammam video, Nigrine, per quam superbus Papa cui adhæc sisti, altitudinem nubium ascendere , & similis esse altissimo conatur ; cui licet nulla proprietas ignis , nullus calor , nulla sursum inclinatio , vehementer tamen Papam elevat sursum , & intensè calida Monachorum accendit ingenia , mentesq; fidelium obfuscat , ut metu ejus mortis in agone sponsa sponsum , sponsus sponsam , Pater filios , Dominus familiam linquat orphanam , laborem verò , substantiam & sortem manuum suarum , consecret Epicureo sedis Romanæ Numini , ut sibi in hoc mundo purgatoriæ , a nullo ante creditæ , a nemine cogitatæ indulgeantur pænæ. Quid quæso accedit renes Cardinaliû Purpuratorum, Episcoporum, Prælatorum, Monachorum, Clericorum, qui in tantum profanâ spurcitie fædarunt Ecclesiam, ut nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria eorum, nulla creatura sensibilis exfors flagitiosissimæ libidinis ; si enim flammæ purgatoriæ extinguerentur, non tantum sitiret meretrix Romana, nec sic prodiga propinasset Regibus terræ Vinum furoris & fornicationis suæ : extincta enim hac commentitiâ flamma, facilè opera supererogationis , indulgentiæ , balnea & mensæ pro defunctis opiparæ , simulatæ fraternitates & cætera crumenarum aucupia extinguerentur, & in cinerem favillamq; mendacii redigerentur.

Verum adest fortis Maccabæus , materiam gehennæ subministrans , qui sacrificium pro mortuis fieri voluit ; sed à gentibus , post Prophetarum tempora communicatam , dum collapsa doctrinâ , & rebus omnibus , cum in imperio , tum in templo perturbatissimis, Judæi in lingua moribus &

ritibus conformitatem quærerent & affectarent: Platonium autem commentum de Purgatorio, constat ex Virgil. 6. Æneidos :

*Ergo exercentur panis, veterumq; malorum
Supplicia expendant: alia panduntur inanes
Suspensa ad Ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.*

Nam cum sacrificia pro singulis necessitatibus, quoad speciem, individuum, sat prolixè extent in Mose, nec ullum sacrificium pro mortuis, nullum piarum precepcionum exemplum ostendi possit in tota veteris testamenti Canonica scriptura, certo certius est Maccabæum, si pro mortuis sacrificia offerebat, non mandato Dei seu exemplo Sanctorum; sed Gentilium id fecissè; alias idem sine dubio David Sauli & Absaloni defunctis præstitisset, si Dei mandatum extitisset, sed luget ipsos, non autem orat pro ipsis vel sacrificat, quare vulgata de Maccabæo legit: *benè & religiosè de resurrectione cogitans*. Græcus textus ἀσείως, quod significat civile, festivum, concinnum & plausibile, novum illud institutum Maccabæi visum fuissè, cogitabat, quia non in verbo Dei; sed Gentilium ara cernebat.

Patriarchæ quoq; , qui exequias defunctorum piè ac devotè celebrabant, eorum quæ ad camarinam purgatorii pertinent aliquam mentionem fecissent; variæ in S. Scriptura exstant comminationes, multæ promissiones, varia charitatis officia, diligenter descripta, tot arcana divinitus revelata; at de Papæ prædiolo ubiq; silentium, nulla in scripturis mentio; Et quidem cum Paulus ex professò præscribat solamen vivorum in luctu mortuorum, 1. The. 4. nulla syllaba, nullum jota, nullus apex sicut & in aliis Sacri Textus locis ad purgatorii opinionè falsam alludit; licet antithesis hoc postulasset, ubi dicit ne *contristemini sicut reliqui*. Gentes enim de mortuis
suis

luis sollicitierant, non impudenter quod eos prolius intermis-
se; sed quod, juxta Philosophorum & Poetarum figmenta,
eos quibusdam purgatorii panis torqueri putabant; sicut &
nunc Pontificii de Sanctis Patribus ante Christi adventum
perversè docent. Quasi verò dispensatum sit cum Mose &
Elia, ut in monte Thabor cum Christo colloquerentur; E-
noch, Elias sursum in turbine vectus, postea ad limbi voragi-
nem descenderent, Christi quoq; parabola de Divite & Lazaro
merum figmentum esset.

Non minus te damnatum Apostatam probat, Nigrine,
Idolomania superans omnem Ethnicorum barbaram vesani-
am. Ponantur in æqua bilance Indi, ponantur Japones, po-
natur Brasiliense genus, humanarum carniū esu formida-
bile, adsint omnes barbari diabolicis superstitionibus imbu-
ti, superabunt Papistæ dementiam & cæcitatem Gentium;
horum siquidem alii solem, alii lunam, alii ignem, terram,
metalla, animalia adorant: Pontificii his omnibus supersti-
tiosè abutuntur, aliis dulciæ, aliis hyperdulciæ, ceteris latriæ
deferunt cultum; Ortus occasusq; lunæ & solis campanulis
excipitur: sine igne nulla sacra, nullæ devotiones, nulla salus
agonizantis; aqua expiat peccata, cera insidiatur dæmoni-
bus; arboribus in figura crucis latria debetur; panis S. Nicolai
febres sanat, S. Agathæ ignes extinguit, nihil tamen nostrates
Polonos juvat, ubi singulis annis aliquot oppida solo æquan-
tur; & quod absõnum, nec inter gentes auditum; cauda a sinæ,
supra quam Triumphator Christus D. Hierosolymam ascen-
debat, argento cooperta Genuæ in Sacrario Dominicano-
rum observatur, & colitur: Probabilior Theologorū opinio
est, Christum quatuor clavibus crucifixum, at plures quadri-
gentis apud Pontificios reperiuntur; Vngarici Christo si tot
fuere oblati a Magis quot in Babylone servantur, facile in
posterum Mater ejus Sanctissima invenisset diversorium, nec

par turturum aut duos pullos columbarum more pauperum; sed certè agnum agniculum secundum consuetudinem divinum pro infante in purificatione sanguinis sui obtulisset.

Quo metallorum genere non abutitur Babylon magna sua fabricando idola, ut fascinatum populum facilius ad fornicationum spiritualia inducat commercia? quæ omittit artificia? his unguenta odores & Thura defert, his pepla & indumenta pretiosa, his aurum & argentum consecrat, hæc gemmis lapidibus exornat, ut cupidos mortalium gemmarum & eboris pulchritudine perstringat oculos, ne unquam veræ religionis existiment cultum ubi ista non affulserint. Accurrit devota plebs, reddit de die in diem vota sua offert aurum, argentum, gemmas; de nocte verò juxta consuetudinem suam intrant Sacraria sacerdotes & scortatrices eorum, bibunt, devorant omnia lascivientes in sinu simulacrorum suorum; ibi Idolomania ancillantur commestrationes, comotationes, adulteria, fornicationes, sodomia, & aliæ dictu nefandæ impudicitia. Hoc quidem creditu difficile est A. at provo ad tremendum Cælestis Curia Tribunal, ubi revelabitur iniquitas hæc, & palam oculis vestris nunc auscultata cernetis; & huc sanè faciunt Psalmistæ verba: *os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt.* Non vident enim in sacrariis suis horrenda venerum monstra, non audiunt lascivientium strepitus, non odorant fetida semini fluorum ora; & hinc potissimum Papistica cæcitatæ, quod ad simulacra & invocationes Sanctorum attinet, argumentum. Si enim sancti tam effrenos impiorum in sacris suis non vident ex alto, nec vindicant abusus, quomodo cultum & orationes devotas auribus percipient, & grato sentient animo? sanè charitas a se incipit, primo igitur contumelia & injuria vindicanda, post indulgentia exhibenda est; sicut enim
sancti,

Sancti, per orationes honorantur; ita per luxus istorum conculcantur, eosdem autem motus adorantis & injuriantis esse in ipsum objectum ac ejus prototypon, consensus Theologorum docet.

At legibus divinis controversia hæc dijudicetur quæso; dicit Deus: Exod. 20. 4. 5. *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in calo desuper & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea neq; coles: in cælo autem sunt Angeli, Sancti, sub cælo volatilia, in terra variæ animalium species, in aquis pisces, sub terra, mortuorum cadavera, quorum simulacra factitant Pontificii, honorem & cultum deferunt. Non desunt delirantis rationis distinctionum argutiæ, prohibitionem scilicet esse, vel quoad simulacra Deorum, non imagines ad devotum cultum pertinentes, vel quoad adorationem quæ ipsi materiæ & formæ simulacrorum exhibetur, vel solum quoad cultum patriæ, qui soli Deo debetur, non verò duliæ, sive hyperduliæ; sed hæc sudaria sunt, quibus Romana meretrix os suum abstergit, frontemq; perfricat, ut gravissimum spiritualis adulterii a se amoliatur crimen; numerat enim lex res ipsas, quarum similitudinem seu imaginem, ad cultum proponi & usurpari vetat, ut nullus detur exceptioni locus; Dicit enim, eorum quæ vel in cælis supra, vel deorsum in terra, vel quæ sub aquis, vel quæ sub terra; quare prohibet non tantum irrationalium creaturarum: sed etiam hominum & Angelorum, imo ipsius Dei imaginem adorandam, cum addit: *Deus enim noster in calo; Utitur quoq; lex universali termino Themanach hoc est similitudinem seu imaginem ex primentem & repræsentantem & Deut. 4. vocat Samel id est figuram, effigiem seu formam. Nec Israelitæ unquam vitulo vel Baalim servierunt: sed Deo, ipso sic attestante, Oseæ. 3. me vocarunt Baali, hoc est holocausta non statua, materiæ vel dæmonibus, sicut cæteræ gentes;**

D

tes; sed Deo vero offerebant, & tamen S. Scriptura dicit Jud. 2. fecerunt malum in conspectu Domini seruiendo Baalim. Frustra etiam lex ad cultum latræ, duliæ, sive hyperduliæ, restringitur; Deus enim absolutè prohibet, præterea, quem religionis cultum suis non impendunt Pontificii imaginibus? quos ritus, vota & sacrificia omittunt? certe altaria, templa, sacerdotes, sacrificia, festiuitates, incuruationes, geniculationes, manuum extensiones, supplicationes & alia; bonâ Theologiâ ad latræ pertinent teste etiam August. Lib. 7. de Civit. Dei, Cap. 37. Bene igitur Tertullianus adversus Hermog. docet, Gentiles Papistarum Patriarchas, quoniam a Platone purgatorium, a Græcis aquam, ab aliis fictitios usurparunt Deos, successit Jovi Georgius, Neptuno Barbara, Junoni Margareta, Apollini & Æsculapio Fabianus & Sebastianus pestilentiæ præfecti. Minervæ Catharina, Valentius morbo comitali, Otholia oculorum lippitudini, Apollonia dolori dentium, Johannes veneno medetur: Nicolaus captivos liberat, Prothasius & Gervasius fures probat, Jacobus ex periculis eripit; Non desunt quoq; Lares, Penates, & Prouinciales Dii: in Hispania Jacobus, in Gallia Ludovicus, Venetiis Marcus, Neapoli Thomas, in Polonia Stanislaus, in Lithuania Casimirus, in Borussia Adalbertus, nullibi præsidet Christus. Non nego cultum Sanctorum, quos Deus Pater honorificat sed cultum civilem, officii & dilectionis: non cultum Religionis & aduocationis; per quem honor Domini nostri Jesu Christi, & titulus unci Mediatoris labitur, populus etiam Christianus in apertam inducitur idolomaniam; hunc damno hunc detestor, unus enim Deus, unus apud Patrem cælestem aduocatus meus, unus mediator Dei & hominum, Christus Jesus. J. ad Timoth. 28. Sileo cætera squalidæ Meretricis tuæ, Nigrine perversissime, superstitionum, scilicet Jejunii, cælibatus, votorum pepla, quibus impensius a Parasitis suis or-

natur

natur & illuminatur, ut purpurissis & cerussis incrustata, spon-
sæ pulchritudinem referre videatur. En ad manus decretum
Concilii Triden, de Delectu ciborum, Jejunii & Festivitati-
bus, *ut omni utantur diligentia Pastores, & illis omnibus sint obse-
quentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum de-
lectus, statuta jejunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augen-
dam.* Hinc Papistæ carnes, quasi spiritu malo plenas, exe-
crantur & abhorrent; Monachorum colluvies, perpetuam
quorundam ciborum abstinentiam sibi indixit; Hinc quid-
quid mundus habet suave & delicatum, quidquid, præter car-
nem, inescandis servit hominibus & libidini titillandæ, id
totum adultera Babylon diebus jejunii subministrat; ibi
piscis modo cocti, modo assi, modo pipere, modo allio, vel
cumino conditi, vini copia lasciuiunt, ibi delicatissima pere-
grinarum frugum condimenta, dulcissimæ ad usum prægnan-
tium mulierum sorbitiunculæ, artes cocorum desudant; si-
milæ, placentulæ, pistacia, universam gulæ occasionem,
& illecebras varias subministrant; Dum quæro causam hujus
superstitionis, Bellar. respondet de Jejunio: Romanæ Ec-
clesiæ doctrinam non ciborum sed concupiscentiæ immun-
dicitiam Deiq; cultum respicere. Quasi verò Deus piscium
colatur nutrimento, carnibus moderatè sumptis blasphemetur.
Ante diluuium omnis caro Nigrine corruerat viam
suam, & tamen ibi nullum esse carniū usum Patres docent.
Certè ova & butyrum multum sanguinis, teste Galeno, ge-
nerant, peregrina condimenta efficacissima sanè libidinis fo-
menta, vino nullum est luxuriæ fortius flabellum; diminutio-
ne non prohibitione ciborum facilius domari passiones cre-
diderim: Nam, secundū Hieron. Lib. 2. aduersus Iovinianum,
*etiam ex vilissimis cibus vitanda est saturitas, nihil enim obruit ma-
gis animum, quam plenus venter & exastuans, huc illucq; se vertens,
& in ructus vel crepitus ventorum esagitacione respirans;* & ad

Nepotianum: Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes, sint tibi pura, casta, simplicia, moderata non superstitiosa jejunia.

Et hæc est certissima tuæ & totius Romanæ Apostasiæ nota, dum lege vetat, quæ lege Deus fancivit; Salvator Matth. 35. severè interdicit, ne quis judicet de cibo & potu: Apostolus, 1. ad Timoth. 4. Liberam universis ciborum omnium & conjugii potestatem concedit, & abstinere a cibus religionis causa doctrinam dæmonum vocat. Moses accuratè sanè & prolixè discretionem ciborum Iudæis tradidit, lex verò gratiæ adeo diminuta & stricta sit, ut nihil certi de ciborum delectu simpliciter ad æternam salutem necessàrio, imo omnia in contrarium, non absq; suspicionis & depravationis nota, statuat? nunquam credam, etiam si Angelus de cælo aliud dixerit. Alias si justis Iudicis, quando jura dabit mediàq; in valle sedebit, vitam nostrã & crimina censens, aliter sententia tulerit, interritâ mente cum patiente dicam; Indica mihi Christe Iesu cur me sic judicas? nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me & verbo tuo opprimas me, opus manuum tuarum & concilium impiorum adjuves? Prohibuisti adorationem sculptilis, non incurvavi genua mea, nec adoravi ea; Regimen Ecclesiæ munusq; salutis meæ pariter omnibus Apostolis demandasti, nullum primatum eorum agnovi; Manducantibus panem & carnem tuam, ac bibentibus sanguinem vitam æternam promisisti, captivavi intellectum in obsequium fidei, totum in sacra Synaxi credidi, sumpsi & manducaui; Sacrificia pro mortuis nulla præscripsisti, non sacrificavi; Delectum ciborum prohibuisti, nullum feci; Hominem fide gratis justificari per Apostolum docuisti, non operibus legis, traditionibus aut humanis adinventionibus, credidi & firma animi fiducia rigorosissimæ satisfactionis tuæ meritum amplexus sum; non feci quod rectum menti meæ videbatur, sed quod

quod tu præcepisti, nec Verbo tuo addidi vel diminui; cur igitur me sic judicas? cur cōtra foliū quod vento rapitur ostendis potentiam tuam? Pereat, pereat Babylon magna, pereat terra, pereat cælū; ego cum verbo tuo Christe nunquam peribo. Merito enim me septicollem deseruisse Babylonem testatur Christus, testantur Apostoli, testatur naturæ lumen; fugio abusus, fugio errores, fugio horrendam conscientiarum carnificinam, in qua crudelis conscientiarum licitor Papa tot instrumentis superstitionum, animos mortalium torquet & cruciat; o quantus quæso conscientia cruciatus, hominem ejusdem naturæ, ex iisdem principiis, qualitibus, elementis & proprietatibus compositum, adorare ut Deum? Stolidum & insipientem agnoscere & sine dictorum ejus fiducia & assensu salvari non posse? leviter & inconstanter studia permutantem cernere, & firmam Ecclesiæ petram confiteri? immundis libidinibus suis; sordida voluptate impapatum. (si enim regnare a Rege, cur papare a Papa non derivabitur?) Dium & sanctissimum prædicare? Violentas alienarum opum ereptrices manus, veloces ad effundendum sanguinem pedes, cum latria cultu exosculari? o portentum portentosissimum! o evidentem animarum perniciem. Detestor quoque & in æternum damno purgatorium commentitium diabolicâ fraude & genio constructum, quod ex diametro pugnat cum S. Scripturæ sententiis, justificationis articulum evertit, valori rigorosæ satisfactionis Christi derogat, summam & infinitam misericordiâ Dei limitat, quietē in pace dormientium, in acerbissima tormenta pervertit, conscientias intolerabile jugum imponit, impænitentiam divitum nutrit, ad desperationem pauperes provocat. Pereat mater ista fons & origo totius iniquitatis Babylonica; Hæc prophanavit Dominicam cænam, hæc cultum unius Dei invida subripuit, & aqua, igni,

ceræ, metallis detulit, hæc iustitiam fidei in absolutissima Christi satisfactione fundatam evertit, quasi qui ejus fide vivit & moritur, cogatur prius acerbissimos purgatorii cruciatus subire; nusquã eam agnovit primitiva Ecclesia; sic enim docet. *in presenti seculo scimus, sive orationibus, sive consiliis invicẽ posse nos coadjuvari, cum autẽ ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, non Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.* Cal. 13. q. 2. Cap. 20. in præf. Pereat igitur blasphema hæc in Christum & merita ejus doctrina. Christus meus vulneratus est propter iniquitates meas, attritus est propter scelera mea, multa pacis meæ super eum.

Quod tamen velocius oculos & mentem meam avertit a squalida scortatrice Babylonica, est misera Monastica vita tota ferme in fundo Sodomorum & Gomorraorum Satanæ genio fundata & radicata; Dato enim Romanam Ecclesiam veram Christi doctrinam tueri, cujus oppositum Regimen ejus, salutis media noxia, cultus novi in Christi antiqua Ecclesia inauditi, mortuorum cura nusquam antiquitati cognita, & alia infinita mendacia evidentissimè demonstrant; adhuc tamen Monachorum impossibilis vel sanè perquam difficilis salus, cū operibus legis se justificari credant, & opera legis imo ipsius naturæ sceleratissimè pervertant, Ibi redivivus Pharisæismus, ibi Iscariotes Judas posteritate guadet, Manichæi, Gnostici, Montanistæ, Novatiani, Atheistæ novâ prole delectantur, lascivi Susannistæ successoribus non carèt: persuadent filiis negligere parentes, ut venusta juventute effrenè abutantur, a pueritia se impuro tradere monasterio, ut in senum lascivis amplexibus adolescant, temporalia spernere, ut opes suas superstitionis devoveant usibus; Profitentur votum castitatis opinione Manichæorum pro eodem existimantes conjugatum esse, ac in carne vivere; torquent huc illa verba: qui in carne sunt Deo placere non possunt; & mundi estote qui

qui portatis vasa Domini; Hinc totius immunditiæ occasionem hostem assumere nemini dubium est, hinc adulteria, fornicationes, sodomix, incestus, sacrilegia, perjuria nihil obstant, quo minus sacerdotes suis fungantur officiis, solum matrimonium a Deo institutum sanctitatem illorum evertit; Satanæ opera sacerdotalem puritatem non inficiunt, ordinatio divina commaculat. Per uxorem non privari amicitia Dei Abrahamum, Mosen quo minus cum Deo colloqueretur, Esaiam quo minus in solio sedentem cerneret, & arcana cælestia lumine prophetico collustratus contemplaretur; Pontifices Iudæorum ne nomina Jehovæ in pectoribus portarent, sacræ docent literæ; Ipse Apostolus ad vitandam fornicationem, unicuiq; conjugem assignat; Monachi & universus clerus, derelicto cælestis medici consilio, non ad vitandam, sed irritandam fornicationem, juventute, bestiis, animalibus, proh dolor, mortuorum cadaueribus, sanctorum imaginibus sceleratissimè abutuntur; Apostolus docet Episcopum & Diaconum debere esse unius uxoris virum; apud illos nefandum quid est, ducere uxorem, ubi tot claustrales concubinæ, tot prostitutæ meretrices, tot lupanaria; Quot in Polonia propter clerum divortia? quot propter Monachos truncatæ moniales? quot filix a parentibus abnegatæ? quod orphanæ a tutoribus exules puellæ? quot igne, fame, veneno, aquis necatæ? fileo innumeras piarum mentium querelas, ne recensione facinorum impii Monachismi prolixiori castissimis auribus importunus videar. Ego interim cui illuxit vera fidei doctrina, flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis Paternitas in cælo & in terra nominatur, gratias ei agens humillimas, quod me dignum fecit in partem sortis Sanctorum vocare, quod me liberavit de tenebrarum potestate, & transtulit in regnum filii dilectionis, quod me validissimo impetu & inundatione Antichristianæ impi-

impietatis diu abreptum potenti brachio suo eripuit & in salutifero portu Evangelicæ veritatis conquiescere fecit. Gratiâ quoq; post Deum meum, quas mens concipere, proferre lingua potest, Tibi ago maximas Magnifice & Nobilissime Senatus Rigenfis, quod me omni destitutum ab hominibus auxilio, alis benignissimi favoris Tui hic protegere, & post difficillimos superstitionum Babyloniarum anfractus velut hederam errantem, inter speciosa & virentia securitatis, veritatisq; Evangelicæ oliueta recipere non gravatus es. Exere adhuc magis in me magisq; patronum favorem Tuum, flecte tuos oculos, spei meæ jubar, charitatis Christianæ spicula, in meam tenuitatem, roreque munificentia & liberalitatis ariditatem meam irrigare non dedignare. Egressus sum, ducente Divinâ clementiâ, patrios lares, reliqui cultus Antichristi abominabiles; utinam in hac Dei civitate, in hac Sione splendidissima, Riga Metropoli, quales quales mihi lares inuenire liceat, & honestam sedem studiorum, sedem precum pro salute vestra perpetuarum; Tanti certè vestri in me collati beneficii debitorem, imo diuitem remuneratorem, implorarem diu noctuq; , ut omni benedictionis genere adacti, crescatis instar cedri mori nesciæ, & copiosis desuper animi, corporis, fortunæq; ornati beneficiis, immortalis gloriæ virorem nunquam in æternum amittatis. Audi votum meum Deus meus; audi Riga incluta; & illi enim me præcipuè, & huic totum consecro, id pro virili posthac acturus, ut fraudes hostium Dei detegam, Satanam in membris suis confundam, Ecclesiam Christi, ejusq; gloriam propagem, cui laus & gloria & gratiarum actio in secula nunquam terminanda.



Amicum Monitorium

R. DN. PETRI NOVACOVII,

Quondam in Ordine Prædicatorum

S. Theol. Professoris,

Ad Patres & Fratres ejusdem Ordinis Est. A
in Polonia.

Salutem & meliorem mentem,

Facult. teol. Wikołki

Biuro biblioteczne

9129

Diu equidem in animo versavi meo; utrum meis vos in-
viserem literis, Patres ac Fratres dilectissimi, an omni
scriptione abstinerem? illud exigebat meus in vos
amor, amor Christiano dignus homine, amor salutis vestræ
cupidissimus, amor pro liberatione animarum vestrarum so-
licitus; hoc metus suadebat frustrandæ operæ, cum animus
vester, inter concurrentes iracundiæ & doloris pudorisq;
nubes, turbidus neq; verum peruidere, neq; bene, quicquid
à me etiam boni proficiscatur, ferre valeat. Quid ergo tur-
barem, jam turbatos satis ob secessionem meam, meâ episto-
lâ? Vicit tamen amor; vicit spes de multis inter vos melior,
qui aditus in mentem suam non occludent veritati. Hac
enim teste, imo teste Deo, teste conscientia vestrâ scripturus
sum, quæ abominationes vestras orbi ostendere, animos non
penitus exsenses commovere, vos à consortio iniquitatis, ad

E

virtu-

A-5075 119

virtutis semitas deducere possunt. Ignoscite magna nomina, quæ tacturus sum! ulcera sunt & carcinomata in vobis fædissima, teterrima: quid mirum, si clamates & detonatis in me? Non aliter facere solent sauciati, cum chirurgus tergit vulnera, imò & cum tangit. O si liceret vos sanare! nihil magis mihi in votis, nihil in optatis esset magis. Interim, dum isthæc legitis, excitate animos; utimini saltem vestra ratione, ut videatis, quibus in via Domini incedatis vestigiis, quibus pabulis Tyrannidem Caini, ignem Sodomorum & Gomorrhæorum rabiemq; Isabelis in viros doctos piosq; nutriatis, quàm malitiosè sanctionibus & constitutionibus vestris abutamini: quibus facinoribus iuventuti miserè, viam adaperiatis ad omnem perniciem. Quid superiores & Duces vestri? in omni scelerum genere volutantur, scandala votis pertinacibus fovent, ad consilia & sententias diversas factiones trahunt, assentatoribus suis nefandissima quæq; concedunt, reclamantes etiam inferiores opprimunt, nisi perversè leges in auxilia trahant, seditionum turbas moveant, omniaq; remedia, ad vindictæ cupiditatem certamq; conscientiarum ruinam disponant. Certè interna vestra bella aperto quouis multo graviora sunt, in quibus tot miseri Patres Fratresq; veneno, ferro, incantationibus, carcere, oppressionibus & angustiis, manibus etiam quandoq; suis desperabundi pereunt. Considerate quæso, quomodò traditi sitis in cordis vestri desideria & immundiciam, ut contumeliis ipsimet afficiatis corpora vestra masculi, in masculos turpitudinem exercètes; videte vos repletos omni iniquitate, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, vos senes, susurriones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, insipiètes, incompositos, pactorum non tenaces, irreconciliabiles, sine misericordia; Ne quidem dealbatorum sepulchrorum, licet alba veste utamini, formam refertis: illa enim

intus

intus tantum : vos & foris omni spurcitia estis contaminatissimi. Quid exhorrescitis ad talia ? quid excandescitis tanto-pere, & calumniarum mē postulatis in corde vestro ? Tam procul abest a me calumniandi libido, quam procul vestra vita & vitia. Deum posco vindicem, si quicquam a veritate alienum refero. Exprimo animarum vestrarum impuram faniem, ut sanem vos, si modò medicinam admittitis. Sileo iniquitatem Patrum vestrorū (hos enim divino committamus iudicio) quorum mensuram adimpletis : vos Fratres & Patres, qui hodiernum vitam degitis, provoco in testimonium. Quid de Duce vestro & Provinciali moderno statuitis, & de vita ejus ? verè Pater est, & non solum adoptivâ, sed etiam naturali prole Thorunii gaudet. Res vobis est notissima, notissima Consistorio Thorunensi, quanto cum periculo & infamia claustralis ejus concubina conflictata fuerit, vix, ac ne vix quidem Amplissimi Senatus Thorunensis iudicium, ope & arte Fratris Marci Błonski & aliorum euadens : & hæc tamen, similiaq; fuere præcipua merita, quæ in solium Provinciale ipsum euexerunt, ut subditi exemplo Domini & Prælati sui licentiosius suis quoq; inseruiant voluptatibus. Bonum factum ! Excutite verò, Fratres, constitutiones vestras, per-volvite electionum directoria, & ubinam tales Prælatos constituendos doceant ostendite. Nullum mihi locum memoria suggerit ; sed ducit me ad iniquitatis vestræ alium testem, ad Doctorem inter vos Primarium Patrem Hyacinthum Bariczkam, qua stuprorum ille licentiâ ? qua confusione libidinum vestram religionem sedavit ? Non enim ejus concubinæ, ut aliorum, in secretis lupanaribus latitant ; audax est illius improbitas, in Conuentus villis & possessionibus cum spuria prole, instar suum porcorumq; saginantur. Norunt hoc Prælati vestri ; norunt vobiscum incestum hominis propudio sissimi ; posthabitis enim usitatis scortis, ô scelus ! sororibus suis

sceleratissime abusus est. Accusabatur quidem publice in Capitulo Luceorisiensi, coram vobis omnibus & vestro illo Commissario, Sodomita famosissimo Patre Imola Italo; ac ille accusatoribus duas objiciebat crumenas, quarum una se Papam, altera immediatos suos Prælatos continere jactitabat. Quis credat ipsum absolutum esse? absolute certè est lascivus senex; miser accusator a superioribus punitus. Tam miserè jus fasq; concidunt, ubi quidquid potentia suadet, indulgentia permittit. Omnipotens enim illius crumena, nummis aureis, ceu copiis quibusdam (hic voti paupertatis vestræ effectus est) animos vestros expugnat, captivosq; tenet in illarum factionum & iniquitatum obsequio. Crumena Bariczkouiana Prouincialem, Priores, Doctores, Prædicatores, Professores, ineptissimos quosq; ad præcipua officia subeunda evehit, ex ipsius dispositione tot Priores homines iniquissimi, concubinarii, incestuosi, Tyranni, bona Conuentus cum suis aslèclis & scortatricibus devorant. parco enim nominibus eorum, (provocatus forte magno numero exponā) propter quos fundatores miserè decepti, Conuentus spoliati, alia non minus Vestro ordine, quam Christiano quocunq; indigna perpetrata. Quis præter perversum Magistrum illum S. Theologiam & Studia ex Prouincia vestra ferè profligavit? viros optimos depressit? ineptissimos ad functiones Philosophicas & Theologicas promovit? Non nisi perversissimus Theologica tractare permetteret Patrem Florentinum Masjomiecki, quem tamen ipse Magistrum studii in Generali & Principali vestro studio Cracoviensi constituit; hominem sane elementarium, totum veneri & lasciviæ deditum, frequentius inter tot calentes fæminarum sinus, quam inter studia versantem; fuit quidem in studio Generali Cracoviensi, sed propter Sodomias, propter continuas cum meretricibus conuersationes (sic enim plerumq; adolescit juvenus vestra)

vestra) inde eiectus est; fuit duobus annis in studio Patauiensi,
sed circuli, & conferentiæ ejus in Venatorum lupanaribus;
maximè apud illam Patauiensem viduam, quam mercedis
loco omni honore exiit, prolem in utero necauit, aliaque
dictu nefanda, ablatâ furto pecunia multis imperialibus
in ipsâ die Resurrectionis Patri Dismas, perpetravit: fuit Le-
ctor Philosophiæ Dantischi, at quanta cum vestra ignominia?
inter variarum enim Religionum doctissimos viros rude pec-
cus vix balbutire potuit; quoties infano potu obrutus, re-
ptabat per plateas ciuitatis? quàm turpia cum Matthiæ de-
mortui Sutoris uxore publicè peregit? quàm miraculosè
morbo comitiali pressus, jam jam in extremis positus & a me-
dicis derelictus, ad vitam rediit? & hic, quod uniuersus orbis
audiat & admiretur, hic promotione Patris Bariczka Magister
studii factus est, quem uel millies igne consumi oportebat.
Cui Socium adjungo Thomam Rosciszewvsky, quem pro-
pter Patrem Bariczka S. Theologiæ vocatis Baccalaureum,
licet nusquam in scholis Theologorum versatus sit, licet ne
Logicalia quidem unquam tractauerit. o Monachorum de-
mentiam. Si omnino titulo insigniendus, rectius luxuriæ,
auaritiæ, doli mancipium dicetur. Tot meretrices in foro-
res adoptauit, adoptatas bonis vestris ditauit, aliquas è suppli-
cio liberauit, Magnatum domos impura venere conspurca-
uit, claustra Monialium, notas vobis domos, laruatus intrauit,
(quid ibi egerit facile conjicitis) tot Conuentus diuites spo-
liauit, tot Fratres carceribus teterrimis, catenis, calumniis,
imposturis, tyrannide sua ad desperationem adegit; & tamen
per omnipotentiam crumenæ Bariczkovianæ subesse ne-
scit, cum aliis quos lubens in præsentiarum, & cum eorum
quoq; gratia fileo.

Prouoco tantum in testimonium iniquitatis vestræ al-
terum vestrum S. Theologiæ Magistrum, Patrem Hierony-

num Makovvsky, alias Prædicatorem Ordinarium Lublinensem; virum omnibus magnatibus Regni Poloniae notissimum, maximè quidem propter nefandum illud crimen, quod depositum in Conventu, 50 millium florenorum Polonicorum Domini Vitovvski Castellani Sandomiriensis, pactitia aliorum operâ, Domino Nimira tradidit, & cum eo tantam summam inter Bacchi & Veneris sacra malitiosissimè consumpsit; infamis cum aliis per quatuor partes civitatis declaratus fuit, ab Episcopo Cracouensi publicè excommunicatus; sed a Patre Bariczka ab Excommunicatione, infamia & iniquitate prorsus absolutus, imo post nefandum crimen, in loco delicti, ubi jure meritò capite plecti debuisset, caput & Prælatus factus est; unde ex illo Conventu cæteri Patres & Fratres, qui factum tam enorme, qui quotidianas ejus commestationes & computationas agrè ferebant, expulsi. Hem vobis in illo Conventu Sanctos homines, Makovvsky, Przybefs, & alios: sacerdotes quidem sunt, sed certe (ut verbis Tertulliani utar) Veneris & Bacchi, qui est ipsorum Deus, templum pulmo, altare aqualiculus, Minister eocus, charismata condimenta, ructus prophetia; agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet: non deest isti sacerdoti Makovvsky in illa ara, quam sub Novitiatu exstruxit, totumq; ornatum illius structuræ celeberrimæ Conventus Lublinensis ademit, materia contemplationis modo mollis, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modò pipere condita. Supra illam oblata animalia piperis & vini inundatione submerguntur, piscis natat in croco, auis ejusdem viscositate ligatur, dumq; tot animalium genera uno ventris hospitantur in carcere, aquatile animal secum pedestre aereumq; genus in eodem sepulchro tumulari miratur, quibus si daretur exeundi licentia, quanta egressis amplitudo esset necessaria? vera esse ista nostis, Fratres appello

appello omnes dispensatores Conuentus Lublinensis ; ap-
pello omnes Priores, qui hanc bestiam nunquã satiare potui-
stis; appello vos iuvenes, fratres quoq; Conuersi, qui insom-
nes noctes, varios illi liquores subministrando ducitis; appel-
lo vos S. Theologiæ Magistri, Baccalaurei, Lectores, qui pro-
pter unum Makovvsky portionem in vestro Conuentu ha-
bere non potestis, apello omnes Fratres in Conuentu Lu-
blinensi quorũ forte 80 sunt; benè profecto nostis plus unam
isthanc Bestiam, quam omnes vos totamq; vestram commu-
nitatem consumere. Et isti duo Patres Principales sunt, qui
totam vestram Provinciam disponunt & gubernant, in mente
luxuriam, in Bibliotheca lagenas, chartas in manibus lusorias
plerumq; portantes. De Patre Johanne Paulo Czarnkouio
S. Theologiæ Doctore notius est, quam ut meâ commemora-
tione indigeat, quot ejus sint adulteræ, quot moniales à viro
alias ex voto castissimo, stupratæ; nostis ne Euam, concubi-
nam ejus quondam ordinariam? Nostis ne? sed pudet alias
iniquitates Macchiauelistæ istius celeberrimi referre. Quid
videtur vobis de Patre Constantino Mórski S. Theologiæ Do-
ctore, qui præterito anno ad instantiam Episcopi & Legati,
propter nefandissima adulteria in exilium ex Conuentu Cra-
couiensi actus est? Doleo bonum illum Ciuem Cracouensem,
qui tot modis mediisq; divortium apud Episcopum tentabat
propter Monachos; ad diversa Tribunalia uxorem & adulte-
rum illum trahebat, tot sumptus expendebat. Frustra omnia!
saginati laicorum beneficiis, quas largiter injiciunt, Monachi,
impune in illos committunt omnia.

Ex his fontibus diffunditur iniquitas ad alios Fratres, his
fautoribus adaperiuntur omnes iniquitatum semitæ; horum
affectæ homines sædissimi totam Provinciam gubernant;
Lublina Prior Stephanus Przybeto S. Theologiæ Bac. fidus Pa-
tris Makovvsky Achates. Vir sanguinum, qui anno 1646
furibun-

furibundus Patrem Fabianum Bykovvsky S. Theologiæ Lectorem (hominem magnæ Familiæ) cum summo periculo mortis, in terram projecit, caput ejus lagenâ plenâ gravissimè (optimus Philosophus) distinguens; homo perjurus, qui juravit supra quatuor Evangelia, Patrem Makovvsky non fuisse extraditorem depositi contra omnem veritatem, totus Bacho veneriq; deditus. Kamenij Prior Pater Florianus, convictus & per processum damnatus non ita pridem fur, calumniator, impostor, luxuriosus, in villa Conuentus Kamenensis publicas concubinas fovens. Præmisliæ Pater Humnicky, qui una cum Parente suo, matre mortua scortum alebat. Brestiæ in Cujavia Pater Gofavvinsky similiter nunc in prædiolo Conuentus concubinam cuidam idiotæ simplici desponsavit, ut commodius ea abuteretur, & alii multi. O homines callidè nequissimos, nequissimè callidos. Et ad istud regimen non virtutum studiis & meritorum laude, sed armatâ quandoq; manu & cruentâ fraude contendunt. Non poteritis dememinisse illorum conflictuum, quos, in appetendo honore Prouincialatûs ambitio Patris Mosinsky S. Theologiæ Doctoris & Regiæ Majestatis Prædicatoris, & Patris Kaminski S. Theologiæ Doctoris, (licet hic defensiue tantum) excitabant. Castra metabantur in se inuicem: invadebant, expilabant, disjiciebant Conuentus exercitu, Priorem Włodimiriensè Patrem Borovvka catenis vinctum noctu ducebant Lublinum & detrahebant in carcerem, qui nomen inde Borovvka adeptus est. O egregia vestri Ordinis facinora. Et tales quidem vestram regunt Prouinciam! quid ergo mirum tanta apud vos ubiq; vigere scelera? si placet inspicite archivum Cracouiense: quot ibi Sodomitæ damnati per processum? quot adulteri, quot crudeles fratricidæ? Nonne Pater Myakovvsky Sacræ Theologiæ Magister Concionator per totum Poloniæ Regnum celeberrimus, toxico præterito anno a Fra-

no a Fratribus ex ordine vestro confecto perit; licet hoc in
pœnam tot illius sodomis, tot pauperum Fratrum oppres-
sionibus debitam Deus permiserit. Idem vobis constat de Pa-
tre Mofinsky S. T. Doctore, & aliis, qui cum illo damnati fuere
Sodomitis, Pater Johannes S. Theologiæ Lector, Exprior Præ-
misliensis modernus, veneno necatus jam pridem esset a Pa-
tre Dzvvonek viro sacrilego, stupratore Monialium libidino-
sissimo, nisi singulari Dei providentiâ præseruaretur, & ta-
men iste homicida in Priorem Conuentus Posnaniensis ele-
ctus est. Quot cultris occisi, quot vulnerati? in Coenvntu Lu-
ceoriensi Frater Stanislaus Diac, Pater Zajac. Lublini Frater
Balthasar Diac, Pater Kokot, Pr. Andreas Supprior, Posnaniæ
Pater Winko Primarius Sacræ Theologiæ Professor, vir Do-
ctissimus & piissimus in carcere fatidissimo miserimè obiit.
Tempus sane deficeret, si omnes fures, si incendarios, alienarū
uxorum raptores, qui mihi & vobis probè noti sunt, enume-
rare aggrederer. Extantiores tantum dixi, qui vel hanc ob
causam bene mihi volent, quod multa eorum scelera tacue-
rim: Horret ad ea animus, horret calamus. Pauca tamen ad-
huc jungam de oppressionibus & exagitationibus, quibus
viros doctos & probos, gementes sub improbitatis jugo, tur-
bant vexantq̄; Miseret me dum cogito Doctissimi viri Patris
Justini sacrae Theologiæ Doctoris, qui tot libris publicè edi-
tis clarus est; senex enim, annis & laboribus plenus, a sodo-
mitis illis Cracouiensibus carceri includebatur innocentissi-
me, gemebatq̄; tam diu in foetore illo, donec ab Illustissimo
& Piissimo Palatino Cracouiensi armatâ manu effractis fori-
bus liberatus in lucem protraheretur. Pater Chrysostronus
Polevvicz S. Theologiæ Doctor, multum certè pro honore
Religionis vestræ laborans, nullis vigiliis parcens, quantas
passus est contumelias ab improbis sociis, tantum quòd non
esset scelerum socius? quam fatido carceri ab illo homi-

ne iniquissimo Patre Silnicki S. Theologiae Doctore Wilnae inclusus? quam tyrannicè exagitatus est? ut nec in ipso mortis periculo sacra illi concederentur: quot contra ipsum injuriarum tela emissà? quot ad Reges & Pontifices subscriptiones conspiratoriæ? Pater Paulus Ruzel homo si quisquam alius inter vos Piissimus, S. T. D. quã ignominio sis sepè verbis laceratus, dum studium Generale curâ Patris Chrysoctomi in Conventu Lublinensi erectum promovere studebat; quid dicam Lectores, Baccalaureos & Fratres alios qui oppressi sub desperationis mole miserime perierunt? De me ipso satis est quod scribam & de meis inter vos afflictionibus & oppressiõibus. Non venditabo meam diligentiam: non ostentabo me. Cui enim bono hoc ad vos fieret? Quis tamen vestrũ tantum laboravit? quis tam diligenter ex Lectoribus, Baccalaureis, imo & Doctoribus vestris, studiis in florida ætate incubuit? quot disputationes publicas habui? in vivis iniquus Bariczka, cui Theses de sanctissima Trinitate Posnanie dicaveram. Mortuus Pater Grocholsky S. Theologiae Doctor. (cujus alias concubina maritum suum Molitorem veneno necavit, & postea in vestro conspectu capite truncata est) cui Disputationem de visione Dei inscripseram. Et illæ Theses meæ famosissimæ de adoratione Christi supersunt: In Hispania, Italia quot quot vestrum fuerunt, nullus me studio & laboribus superavit, testes sunt quatuor disputationes publicæ, quas illo quadriennio habui; unam dicatam Legato Regis Poloniae, aliam Patri Chrysoctomo Poleuio, tertiam Episcopo Segouienti, quartam Magistro Generali Rodolphio; finitis in Hispania studiis de quot materiis Theologicis gravissimis disputavi in Capitulo Generali Januæ in Italia coram Patribus totius Ordinis? postea anno sequenti, in illo celeberrimo studio Patauensi; ex integra Tertia parte. disputationes Theologicas deprompsi, dicatas Illustrissimo Palatino

tino Cracouienti. Lublini tandem Professioni Philosophicæ admotus, nullâ hora, vos scitis otatus sum, toto illo triennio disputationibus Philosophicis publicè exercens ingenia. Quid ergo causæ fuit, quot tot me hinc inde lacerasti injuriis? nulla fuit, nisi ea, quod nefandis Patris Makovvsky operibus ablandiri neq; potuerim neq; voluerim: quod fugerim iniquitatum semitas tristissimas, fugere coactus sum studia, diuagatus miserè (mihi enim vita sine studiis mera miseria est) inter Magnates per integrum annum, donec apud Danciscanos Theologiæ Professor Primarius fierem; sed sub callida honoris specie, profunda fraus latebat. Offam scilicet gratam crudelissimis ibi Fratribus objicere voluistis. Etcertè sensi dentes eorum, sensi odia gravissima, sensi verum esse quod improbis omnia sordeant. Studium Theologicum urgebam, ingratum id vobis accidit, juventutem exstimulabâ: non placuit vestræ inertix; quæ tandem eousq; sævit in Facultatem Sanctissimam, ut Professorem penitus exegerit. O inopiam vestram; sed in pietate, in religione, in probitate. Hæc causa est, non sumptuū defectus, ut fingitis, quod Theologum non patimini. Majores ne sumptus requiruntur in Fratrum studia, an in eorundem ingluuiem? molestius ne vobis est (ut revera est) quod Musis, quam quod Baccho Veneriq; totos sese consecrant? Sed graculus libenter graculo assidet. Expedivistis contra me literas clandestinè subscriptas ad Patrum Bariczka amotionem ei a Conuentu & Professione petentes. Quod facinus in pietatē authonestatē designavi, cujus gratia removerer? Memini jam facinoris. Consentire nolui elegantibus in Priorem Patrem Włofzynovvsky S. Theologiæ Baccalaureum & vestrum Primarium Prædicatorem: sed quæro ex vobis per vestram, si qua est, conscientiam, nunquid peccaui in hoc? vidistis furores ipsius Tyrannicos, quod toties in Fratres securi irruerit; parum absuit quin dispensa-

atorem Fratrem Danielelem occideret: vidistis crapulam illius
& ebrietatem, quod toties per claustrum ebrius a Laicis por-
tatus sit: vidistis lasciuiam incredibilem, quamq; pudendas
litteras cum fœdissimis picturis ad amasias suas expedierit.
ostendi vobis tales: vidistis tot, & ostendere adhuc possum
aliis: quod verò revelatorum facinorum mihi præmium?
Professionis priuatio, ut dolofo prætextu ad Prædicaturam
Thorunensem ablegarer. Hic hic enim verè Minotaurus
erat, Prior Rosciszevsky cuius truculenta rabie perirem. Sed
euasi labyrinthum periculosissimum, euasi, ductum non
Ariadnæi cuiusdam filii, sed diuini verbi secutus: euasi ceu
spiritualis Theseus, & jam extra omnia impietatis, impu-
ritatisque vestræ impedimenta in sinu Matris Ecclesiæ
vigeo, viuo, valeo. Quid est quod possim vobis optare uti-
lius, Patres & Fratres dilectissimi! quam ut inde quoq; libe-
retis vestras animas? Indulsi vobis Deus, pro benignitate
sua, non contemnendas animi dotes: ne abscondite eas sub
cæno scelerum, quibus vos præfecti vestri, ceu ruina quadam,
obruunt. Magna pars sanitatis est, exempla insanix reliquissè,
& ex isto cætu invicem noxio procul abiissè si amicè, quod
amicè moneo accipitis, gratulabor mihi equidem de bonita-
te vestra. Admoneri certe bonus gaudet; pessimus quisq;
corruptorem asperrimè patitur. Sin isthæc importunius re-
spuitis, tamen non desistam calida ad Deum meum pro salute
vestra vota mittere, ut oculos illuminare vestros lumine sui
spiritus, & vos à multiplici impietate ad veram sanctitatem,
a cultibus electitiis ad suum: à mendaciis, ad veritatem du-
cere clementissimè dignetur. Valetè, ut valere me vultis!

Vestri boni cupidissimus


PETRUS NOVACOVIVS.

Clariss.

*Inventor scelerum Monachus, manus impia fratrum,
Intentare necem, tristitia damna parat?
Ferrum, ignesq; crepat Babylon, tu nitere vero
Numine, sic celi crescet ab igne labor.
Prasidio cingere Dei, te dextera Patris
Proteget, ut Nati conduplicetur Amor.*

Ita accinebat

IOHANNES HÖVELIUS,
M. D. Patriæ Physic. & Profess.



O D E.

Sic ergo tetris fraudibus inditum
Romæ nitorem linquis, & efferos
Mentis latrones, & triumphas
Geryonis Latialis astûs,
Dum Te verendi filia Numinis,
Germana recti, Religio, diu
Non erubescendis adussit
Ignibus, optime Novacovi?
O prædicandam pectoris indolem!
Montes honorum temnere, candido
Amore cæli, nec bonorum
Lautitiis saturum teneri.

Creditis? imò credite Sarmatæ,
Pigriq; ventres, claustraq; pinguis,

Quod Prædicator & Professor

Vester ad hanc properè migrarit

Dei Sionem, non sine gaudio

Cælestis aulæ, non sine cælitum

Plausu secundo, jubilisq;

Eusebies populiq; sancti.

Adeste pulcri carminis arbitri!

Quis Novacoví dona? quis impetum

Æternat, ut dignè merentem

Differat a tonitum per orbem?

Auditis? an me ludit amabilis

Imago rerum? Relligio palam

Referre laudes ejus orbi

Incipit, & stimulare mentem

Ad ausa tanto digna proselyto:

Quapropter arcuos dimovet obices

Periculorum, nec sinistris

Ire finit pia vota fatis.

M. JOH. BREVERVS,

Phil. & Eloq: Prof.

